

sunt coerencie precio papiensis monete lib. III. solidos XI. finito precio tali modo, ut faciat jam dicta Sicca & heredes sui aut dederint de jam dicta terra, sicut est signata, & terminata intra terminos, & coherentia quidquid facere voluerit sine omni contradixione jam dicti Ottonis, & heredum suorum. Insuper jam dictus Otto una cum suis heredibus promisit jam dictæ Sicce, suisque heredibus, aut quique dederint supradictam vendicionem qualiter supra legitur in integrum ab omni homine defendere, quod si defendere non potuerit, aut per quovis ingenium pertrahere quesierit, tunc in duplum eandem vendicionem sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub estimatione in consimili loco. Insuper domina Sicca suscepit hanc cartam in suis manibus pro Ecclesie sancte Marie de Campis. Actum ad Chincianum ad domum sancte Marie feliciter. Testis Otto Vido . . . Lanerii, Joannes Clericus, Enricus Male Ego Otto Notarius Palatinus suprascripte carte vendicionis scriptor extiti &c.

Decretum Friderici I. Imperatoris pro Ecclesia Gebennensi teste Episcopo Aquensi ap. Murat. A. I. M. AE. Tom. VI. diff. 71. col. 57.

27

MCLXII.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ec. Hujus autem nostræ constitutionis & confirmationis testes sunt, quam plurimi principes imperii, quorum nomina hæc sunt Anselmus Astensis Episcopus, Vercellensis Episcopus, Novariensis Episcopus. . . . , AQUENSIS Episcopus, Albensis Episcopus, Terdonensis Episcopus . . . VVilhelmus marchio Montisferrati . . . VVido comes Blanderatensis & alii quam plures. Acta sunt hæc A. D. I. MCLXII. ind. X. Regnante domino Friderico R. I. Viñt. anno regni ejus X. imperii vero VII. In Archiepiscopatu Bisuntino apud Pontem Laone super Senam. VII. id. septemb.

Notas & variantes vide ap. Terran. in suis Collectaneis.

Litteræ, quibus Abbatissa monast. S. M. nunciat Vilelmo Episcopo Aquensi dimisisse e sua potestate sororem ab eo petitam ad alterius præfecturam regendam, nec eam amplius ad monasterium revocaturam. Ex Tab. Mon.

28

MCLX. . . .

A. Dei nutu forensis Ecclesie Abbatissa Wilelmo Aquensi Ecclesie Antistiti, ejusdemque successoribus omnibus. Noverit vestra sublimis auctoritas nostre sorori B. Monachis institutis a pueritia erudite nostre etiam congregationi dicite ob vestram eximiam petitionem nos dedisse licentiam, ut obedientie ei a vobis illate provida gubernatrix imminet, & que Dei sunt inibi optima dispositione perficiat. Quin etiam dimissorio nostre liberalitatis evidenter exprimimus, ut nec nobis dum vixerimus, nec alicui in nostro ordine succedenti liceat quandoque eam ad nostrum monasterium replicare. Si-

quidem incivile est, immo extra ordinem habetur, ut que gregis alicujus divina provisione gubernatrix accipitur, ipsa ceu gregaria infra alicujus Abbatisse ambitum redigatur. Ut vero hoc nostre deliberationis arbitrium efficacius teneatur, omnibusque presentibus ac futuris precordialiter intimetur, manu proprie corroborationis firmavimus, nostris quoque sororibus firmandum speciali taxatione injunximus. Ego ADALIDA Abbatissa in hoc dimissorio a me facto subscripsi cum sororibus nostris Richiza, & Alberta. * * *

Venditio terræ in Noxeto facta ab Agnete & Cannacio monast. S. M. Aq. Ex Tab. ejusd.

MCLXXIII.

29

Anno Domini millesimo LXXIII. idibus marcii, indictione III. carta vendicionis sub dupla defensione fecerunt Agnes una cum viro suo Cannacio Ecclesie sancte Marie Aquensis nominatim ex pecia una de terra, & pecia una de nemore, pecia de terra jacet in Noxeto (1). Coeret ei Ecclesie sancte Marie, Albrio, Oddozonus miles, Laurencius. Nemore jacet in Rime, coeret ei Ecclesie de tribus partibus, pro precio nominato centum solidos denarius unus papiensium denariorum. Quam suprascriptam vendicionem tali modo facta fuit, ut rectores Ecclesie sancte Marie predicta vendicione teneant, possideant, quidque voluerint faciant sine contradictione gueti Cannacii & successorum suorum. Quidem sponderunt, atque promiserunt ab omni homine defendere. Quod si defendere non potuerit, aud retrahere voluerint, in duplum restaurare promiserunt Ecclesie sancte Marie, sicut fuerint meliorate. Notum sit omnibus, Agnes juravit, nec per se, nec per ullum suum successorem predicta vendicio non erit molestata, nec recreata: fuit supra eodem terra in Noxeto actum feliciter.

Amedeus Vido, Alauuatus, Oddozonus miles testes fuerunt.

Domina Otta predicta terra adquisivit, & suprascriptum precium solvit, & in manibus suis illa carta tradita fuit.

Ego Teto Notarius interfui ad memoriam retinendam denotari.

Hic notarius est ipsemet, qui superiorem cartam vendicionis anni MCLXII. edidit, & se Ottonem subscribit, ut patet ex similitudine litterarum ac scriptione admodum difficili, qua utraque carta conscripta est.

(1) Regio in Aquis.

MCLXXIV.

30

Diploma Friderici I. Imperatoris monisterio Morimundensi, cujus notæ Chronologica ita se habent.

Acta sunt hec anno Domini Incarn. MCLXXIV., indict. VII. regnante Friderico Imperatore Rom. Glor. an. regni ejusdem XXIII., imperii vero XXI. datum in Episcopatu Papiensi in obsidione Roboreti XIV. januarii felic. amen Ugh. T. IV. Mediol. Arch. in Algiso Episcopo N. LXXXIV. pag. 164.